




Verbum Domini

Commentarii mensuarii de Re Biblica

omnibus sacerdotibus accommodati curante

Pontificio Instituto Biblico

Ignoratio Scripturarum
ignoratio Christi est.
(S. Hier. Prol. in Is.).

INDEX RERUM

U. HOLZMEISTER, Crux Domini eiusque crucifixio: IV. Relationes Evangeliorum explicantur ex Archaeologia Romana	257
I. M. PIGATUS, Quam flagrans SS. Bibliorum stu- dium in S. Hieronymo Aemiliano fuerit	264
A. ROMEO, « Omnes quidem resurgemus » (III) . Pont. Institutum Biblicum: Conspectus historicus anni academici 1933-1934	267
Prospectus anni academici 1934-1935	276
Bibliographia: VAGANAY, <i>Initiation à la Critique textuelle néotestamentaire</i>	281
GOSSELLIN, <i>La Prière du Christ dans le cœur du chrétien</i>	287
Il momento attuale del Protestantismo	288
M. ROCHA, <i>Travail et Salaire à travers la Sco- lastique</i>	288*

ROMAE

PIAZZA DELLA PILOTTA, 35

1934

**Quam flagrans SS. Bibliorum studium
in Sancto Hieronymo Aemiliano fuerit**

Sanctus Hieronymus Aemilianus ille, quem ante quinque annos PIUS XI, Pontifex Maximus, omnium pupillorum patrem derelictaeque iuventae caelestem patronum haberi iussit, non legitur multam operam sacris studiis dedisse. Neque sacerdos fieri, qua erat animi humilitate, voluit, sed quam vitam antea armis et rei publicae devoverat, eam, Christo addictus, in pietatis charitatisque operibus ad extremum spiritum consumpsit.

Nihilominus ita continuo Sacras Litteras manu versabat, ut facile earum loquendi rationem et modum hauserit atque in dicendo et scribendo, nulla data opera, exprimeret.

Magis perspicue dicam. Quae is scripsit aut quae ore alios docuisse traditur, cum legis, plures in sententias incidis ex divinis libris depromptas; neque tamen ibi aliquam auctoritatem allegat aut recitat, sed currenti sermone sic profert et pronunciat, ut omnia sponte ex eius corde per se profluere existimes. Atqui illae sententiae vere in Sacris Codicibus totidem expressae verbis inveniuntur.

Constat igitur Sanctum Hieronymum, pluries legendo et commentando, ita sacra volumina edidicisse, ut non aliter quae cogitaret, nisi eisdem eorum verbis uteretur, dicere posset. Hoc ego nullibi scriptum vidi, sed ex eius sermonum et epistolarum fragmentis non difficile comperi.

Rem facto ostendam.

Cum evulgaret, in animi grati testimonium, quomodo Beatissima Virgo Maria ipsum e carcere et hostibus eripuisset, dicebat « sibi vincula illa multum profuisse, quoniam *humiliari sub potenti manu Dei* edidicisset ». Ecquis non videt hic allegari I Petr. 5, 6?

Alias amico laudanti: « Quaeso — inquit — adiuva potius me ut Deum laudem; *sine illo enim nihil potuissem facere* ». Quae verba sunt Ioh. 15, 5.

Multas mulieres impudicas cum sanctissime coegisset, ut iam caste viverent, monialium leges et solitudinem imposuit, « *ne*, ut aiebat, *sicut*

canes reverterentur ad vomitum ». Quibus confer Prov. 26, 11 vel. 2 Petr. 2, 22.

Si quis ad meliorem frugem sese recipiendi moram traheret, immutabiliter his verbis hortabatur: « Maxima stultitia est morum emendationem differre, dum *nescimus qua hora Dominus venturus sit ad nos* ». Ex Matth. 24, 4.

Haec et multa alia non scripta ipse reliquit, sed discipuli ex eius ore exceperunt et tradiderunt. Quodsi rem in epistolis investigemus, longe frequentissimae recitationes recordationesque Scripturarum sunt. Saepe verba latina usurpat, paululum mutata, quia, ut censeo, librum non conferebat scribens, sed ex memoria repetebat.

Specimen in promptu est, ex eius epistola quinta.

« *In patientia vestra possidebitis animas vestras. Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur?* Quid dicere velim, vos facile intelligere arbitror. *Ne simus igitur tamquam illud semen quod in petrosa cecidit, eorum videlicet similes qui in tempore tentationis recedunt...* Proximos tolerare ex intimo et exorare debemus; externe vero benigne alloqui... Certum est enim, si quae vos proximorum fragilitas offendit eam idcirco tantum accidere, *ut per vos glorificetur Pater qui in caelis est...* Illud etiam maxime considerandum, *unum Deum esse bonum* Christumque in eis solis virtutes suas ac charismata exerere qui se Christo ducendos tradant.... Quod vero scripsistis de nostro Patre Joanne, *beatus erit si ei homines maledixerint mentientes* » etc....

Profecto centonem scripturisticum te legere putaveris. Frequentius tamen sub calamum effluunt breves στίχοι, ut: « Duo praesto sunt, ut *rogemus Patrem Aeternum ut mittat operarios*, et ut *perseveretis usque in finem* ». Saepius etiam illud I Petr. 5, 9 usurpabat: « *Resistite fortes in fide* », ut in una epistola quater vel quinquies posuerit.

Aliud dignum est, quod meminerimus. Exempla virtutum unis ex S. Scripturis petiit. Cumque vellet ostendere quantum ipse deprecaretur: « *Brachia in caelum extollo* — scribit — *quam maxime possum* » (Ep. 2). Namque illi occurrerat Moyses. In exortando ut parvuli omni data opera et labore erudirentur, ante oculos Helim sacerdotem ponebat. Vitam ipsam religiosorum, quam susceperat, ut quanti sit facienda doceret, cum terra illa promissionum, verbis ex Moysis libris petitis. non semel contulit. Vin autem nosse quomodo semper orationes ad populum exordiretur? « *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra* » e ps. 94. Atque ego haud scio an melius illud obtineri etiamnum possit, quod vult Cicero in ordienda oratione, ut « aut concilietur auditor aut erigatur aut paret se ad discendum » (Orat. 35, 122).

Itaque multum roboris efficacitatisque in eius concionibus inerat, ut ne semel quidem eum, fructibus non demessis, perorasse traditum sit. Qui etiam ita audientes afficere solebat, ut se audire germanum apostolum arbitrarentur, cui ipse Christus voce praeiret.

His e rebus illud ego quidem omnino consequi existimo, non multos in viris sanctis reperiri qui diligentius libros sacros tractaverint, et penitius eorum eloquentiam assumpserint et expresserint, quam Hieronymus Aemilianus noster.

P. IOANNES MARIA PIGATUS.

Novocomi, mense Iulio 1934.
